magno gaudio ſuſcipitur (erat enim filia Brunichildis, quæ A filia fuit ipſius Goiſvinthæ) quam nec paſſa eſt in religione Catholica diù commemorari, ſed ut rebaptizaretur in Ariana hæreſi, blandis cœpit ſermonibus illicere. Sed illa viriliter reluctans cœpit dicere: Sufficit ſatis me ab originali peccato baptiſmo ſalutari ſemel ablutam eſſe, & ſanctam Trinitatem in una æqualitate confeſſam: hæc me credere ex toto corde confiteor, neque unquam ab hac fide ibo retrorſum. Hæc illa audiens, iracundiæ furore ſuccenſa apprehenſam per comam capitis puellam in terram collidit, & diù calcibus verberatam, ac ſanguine cruentatam juſſit ſpoliari, & piſcinæ immergi; ſed (ut aſſerunt multi) nunquam animum ſuum à fide noſtra reflexit. Leuvigildus autem dedit eis, nempe ipſi Ingundi, & viro ſuo Hermenegildo, unam de civitatibus, ut ibi reſidentes regnarent. Ad quam cùm abiiſſet, cœpit Ingundis prædicare viro ſuo, ut relicta hæreſis fallacia, Catholicæ fidei veritatem agnoſceret. Quo ille diù refutans, tandem commotus ad ejus prædicationem, converſus eſt ad fidem Catholicam, ac dum chriſmaretur, Joannes eſt vocitatus. *Greg. Turon. l. 5. hiſt. Franc. c.38.*

Cùm Eunominus Valentis temporibus à ſuis clericis receſſiſſet, apud ſeipſum in Bithynia morabatur vir callidus, & dicendi peritus, multuſque populus concurrebat B ad eum: alii hominem experiri volentes: alii audire, quæ diceret. Horum fama pervenit ad Principem Theodoſium: cum quo ipſe quoque voluit habere ſermonem; ſed Auguſta Placilla precibus eum retinuit: Erat enim fideliſſima, & Nicæni dogmatis jura ſub integritate ſervabat, timuitque ne (ut fieri ſolet) eloquio viri callidi captus Imperator facilè in ſectam ejus incideret. *Tripart. lib.9. hiſt. Eccl. cap* 11.

Cùm audiſſet Maximianus nomen Adriani inter martyrum nomina recitari, evocato ad ſe dixit ei: Inſanis, Adriane? nunquid & tu vis tam malè perire? Adrianus reſpondit: Non inſanio; ſed de multa inſania ad ſanam mentem revertor. Cùmque perſeveranter, quæ ſunt fidei, & veritatis proſequeretur, furore repletus Maximianus juſſit eum ferro vinctum cum reliquis ſanctis martyribus ad carcerem pertrahi. Erat autem juvenis annorum viginti octo. Et fama celeriter currente, didicit uxor illius Natalia cuncta, quæ circa maritum provenerant. Et gaudio plena, quia erat mulier Chriſtianiſſima, cucurrit ad carcerem, procidenſque ad pedes viri ſui oſculabatur vincula ejus, dicens: Beatus es, domine mi Adriane, quia inveniſti divitias, quas tibi non dimiſerunt pa- C rentes tui. Verè jam ſecurus pergis ad Chriſtum, benè recondens in ipſo divitias, quas invenies in tempore neceſſitatis, ubi de pœnis damnatorum neminem quiſquam liberabit: non pater filium, non mater filiam, non divitiæ tranſeuntes, non illos ſervorum ambitio, & patrimonii amplitudo, ad extremum nec amicus amicum: omnes enim tunc propria ſarcina comitabitur. Tu, domine mi, tecum habes Chriſtum, in quo tua omnia repoſuiſti, perge fiducialiter, perge, ne timeas, ut percipias promiſſa ipſius. Non revocet te ullus intuitus rerum velut umbra tranſeuntium, non affines, non parentum gemitus, non pulchritudo corporis, execratio ſeductorum, adulationes amicorum, non te terreant ſpecies tormentorum. Horum, qui tecum ſunt, conſtantiam, & patientiam aſpice, his ſolis intende. Hæc poſtquam proſecuta eſt, ſingulorum martyrum vincula deoſculans: Rogo vos, inquit, ſervi Chriſti, confortate hunc Adrianum beatiſſimis monitis, & lucrifacite animam ejus in Chriſto. Vos ſitis ei patres, per vos naſcatur æternæ vitæ. Ad quam B. Adrianus dixit: Perge nunc ſoror mea in domum tuam, & cùm agnovero fieri interrogationem noſtra, accerſam te, ut videas finem rei. Poſt aliquot dies, D cùm quæſtio immineret, dato precio cuſtodibus, & datis fidejuſſoribus, perrexit ad domum ſuam vocare beatam Nataliam. Cùmque pergeret, vidit eum, qui bene noverat illum, & præcurrens domum nunciavit eum venire. Quod uxor audiens non credidit. Quis, inquit, potuit illum abſolvere de vinculis? Non contingat, ut abſolvantur, nequando ſeparetur à ſanctis illis. Et cùm puer domeſticus ſuperveniens affirmaret eum dimiſſum, ſuſpicata, quòd martyrium refugiſſet, contriſtata flebat amariſſimè, & cùm eum jam videre inciperet, projecit, quæ erant in manibus, & accurrens clauſit oſtium domus, clamans, & dicens: Longè efficiatur à me hic, qui corruit, & mentitus eſt Domino Deo ſuo. Et converſa dicit ad eum: O ſine Deo præ omnibus hominibus, qui te coegit apprehendere opus, quo non potuiſti perficere? Quis te ſeparavit à ſanctis? quis te ſeduxit, &c. Cui B. Adrianus præ foribus ſtans dicebat: Aperi mihi, ſoror mea Natalia, quia non ſicut tu æſtimas effugi martyrium. Veni autem propterea, quia inſtat tempus quæſtionis noſtræ, ut ſicut promiſi, præſens fias. At illa non E credens; Vide, inquit, quomodo me ſeducit tranſgreſſor? Ecce quomodo mentitur alter Judas? Recedat à me homo, nam antè meipſam interficiam, quàm tibi ſocier. Martyr de zelotypia conjugis lætus, cùm ſermonibus ſuis ei ſatisfaceret, & niſi citius ei aperiret, moraſſe non poſſe facere aſſereret, tandem illa aperiens provolvitur pedibus ejus. Inde verò citius exeuntes, properabant ad confeſſionem, ut in numero coronatorum Adrianus inveniretur. Cùmque adhuc eſſent in via, dixit Adrianus; Soror mea, dic, quomodo ordinaſti ſubſtantiam tuam; Cui illa: Noli, inquit, domine mi, noli memorare, quæ ſunt mundi hujus, ne attrahant animum tuum: auferantur ab animo tuo omnia corruptibilia; ſolummodo illa feſtina videre, quæ repoſita ſunt tibi, & ſanctis, cum quibus ambulas in via Dei. Completa itaque die, ut produceretur, exhibiti ſunt martyres in conſpectu Maximiani, putrefactis jam carnibus eorum, ita ut vermes de ulceribus ſcaturirent. Natalia verò ad Adrianum converſa dicebat. Vide, domine mi, ut ſolummodò ad Deum fiat mens tua; nec cor tuum in aliquo trepidet, dum videris tormenta tibi propoſita. Labor quidem nunc modicus, ſed in ſæcula ſæculorum erit repauſatio. *Ado Trivirenſ. 8. Septem. in Martyrol.* F

Juſtinianus Imperator feliciſſimus extitiſſet, & planè cui nullus unquam vel Gentilium, vel Chriſtianorum Imperatorum longo intervallo fuiſſet exæquandus, ſi conjuge Theodora caruiſſet; & Catholicam nactus fuiſſet ſibi ſimilem conſortem imperii. Prorſus ſecundùm illud Eccleſiaſtici ipſi contigit. Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Et quidem ſecundùm quod ſubditur: Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo. Quanto enim propenſiori ſtudio palàm fuit Juſtinianus Catholicæ fidei, tanto iſta callidiori conſilio clàm Eutychianæ hæreſi, atque Eutychianis hæreticis adiumento fuit, & argumento, nec non etiam firmamento. Cujus impiæ fœminæ callida, occultaque ſequutus conſilia Imperator, Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano è medio ſublato, cùm ſediſſet annos quindecim monſtrum horrendum, Anthimium Epiſcopum Trapezuntium, qui Foris licet Catholicam fidem profiteretur, intrinſecùs tamen Eutychianam hæreſim ſectabatur, in regiæ civitatis ſedem Pontificiam provehit. Cæterùm, priſtinum adhuc vigorem retinens Juſtinianus, cùm ſibi, qualis eſſet Anthimus, perſpectus eſt, eundem è ſede ejectum proſcripſit, poſtquam Agapeti Romani Pontificio judicio dete- G ctus, ejuſque ſententia condemnatus eſt, accedente Synodali decreto. *Tom.2. Conc. edit. Nov. ſub finem* 1. *Act. Syn.* 5. *&* *Novell.* 45. *Baron. tom.* 7. 535.

Sophia Dana Valdemarum maritum ira corripuit tyrannicis conſiliis, ut cum eſſet Suenonum Rex, à ſuis fuerit captus. *Joan. Magnus l.9.*

Cùm Eudoxia Auguſta in S. Joann. Chryſoſtomum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ob conflatum priſtinum in eum odium, velut œſtro percita, fureret, minatur non depoſitionem modò, ſed necem quoque, appetens caput viri, cujus lingua gravius quàm lancea feriretur. Nec iſta verbis tantùm debacchantium fœminarum more jactabat inani ſtudio, ſed opere ut implerentur, totis contendit nervis, literas ad Epiſcopos ſcribens per veredarios, ut quàm citiſſimè perferrentur, ſollicitè curans, ut quamprimum omnes Conſtantinopolim venirent, ante omnes autem Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, quem experta erat in hujuſmodi rebus curandis ſolertiſſimum. Pertraxit etiam illa ſua vota Imper. Arcadium, quem reddidit ſuis votis in omnibus annuentem, qui autem magna cautela primùm omnium cavendum du- H xit, ne cum populo Joanni ſtudente magiſtratus jungerentur, unà cùm his, qui ipſis magiſtratibus parebant; ne viribus populus pollens Epiſcoporum diſſenſiones in bellum civile converterent. Imperator itaque improbitate fatigatus mandat Joanni, ut Eccleſia exeat. Sed Joannes ita reſpondit: Ego à Deo Salvatore noſtro hanc ſuſcepi Eccleſiam, ut ſalutem populi curem diligenter: neque illam deſerere poſſum. Quod ſi fieri id omnino vis, quia civitas diſſentit à me, vi mecum age, ut excuſationem habeam, quod auctoritate tua pulſus reliquerim ordinem meum. Ita cum quadam verecundia mittentes de palatio depulerunt illum, mandantes, ut interim in Epiſcopatus habitatione moraretur, expectantes ſimul aliqud divinæ indignationis judicium, ut ſi quid illius adverſariis, aut ſibi triſte contingeret, maturatò illum in Eccleſiam reducentes Deum reconciliarent

ſibi,

A ſibi, alioquin illi rurſus inſidiarentur, ut Pharao Moyſi. Adveniente magni Sabbathi die rurſus illi mandant, ut Eccleſia exeat. Quibus ille juſta reſpondit. Veritus itaque Rex ſanctitatem, & commotionem civitatis, accitos Acacium, & Antiochum alloquitur dicens: Quid facimus? Videte, ne fortè non rectè conſulueritis. Tunc nimium magnanimi dixerunt Regi: ſuper caput noſtrum ſit, Imperator, Joannis depoſitio. Quod reliquum erat auxilii, qui cùm Joannes aderant Epiſcopi, ſacri jejunii numero æquales, nempè quadraginta, Regem, & Reginam adeunt in martyriis, orantes cum lachrymis, ut Chriſti Eccleſiæ parcerent, maximè propter imminens Paſcha, & eos, qui regenerandi erant, jam plenè eruditos, eique redderent Sacerdotem. Sed auditi non ſunt, ita ut S. Paulus Epiſcopus imperterritus, plenuſque fiducia Eudoxiæ diceret: Deum time, filiiſque tuis miſerere, neque ſanguinis effuſione ſanctam Chriſti violes ſolemnitatem. *Baron. tom.5. Annal. Eccl. ad an. Chriſti* 404.

Valens Imp. potitus Imperio, quanquam primò doctrinæ Apoſtolicæ ornamentis decoratus, cùm Gothi Iſtrum trajeciſſent, & Thraciam popularentur; conſilio B inito de colligendo exercitu, & bello contra eos ſuſcipiendo, non putavit ſibi conſentaneum, ut nudus divina gratia expeditionem faceret, ſed ſe perfecta ſacroſancti baptiſmatis armatura tegeret; idque præclarè, ſapienterque admodum. Poſteà tamen, & nimia animi mollicie diffluere, & veritatem apertè prodere cœpit: idemque ei accidit miſero, quod primo noſtro parenti Adam. Nam verborum lenociniis conjugis ſuæ delinitus, in ſervitutem datus eſt, & factus non captivus ſolùm, ſed etiam muliebrium verborum fallaciis obſequens. Siquidem illa erroris Ariani laqueis antè irretita, maritum in eoſdem inducere laboravit, cujus hortatu in horrendum blaſphemiæ barathrum præceps cum ea dejectus eſt. Eudoxius autem, qui adhuc Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ clavum tenebat, non ut eam ritè gubernaret, ſed tamquam navem undis obrueret, hos non modò in hunc induxit errorem, verùm etiam eidem conſecravit. Eodem tempore igitur, dum Valens ſacro baptiſmatis initiatur myſterio, Eudoxius eum miſerum obſtringit jurejurando, ut qui in eo impio dogmate perſeveret, & omnes, qui contra- C riæ doctrinæ adhæreſcunt, ubique Eccleſiis exigat. Itaque Valens relicta doctrina Apoſtolica, hoc pacto ad partem adverſariam traductus eſt; atque non longo temporis ſpatio interpoſito, cætera, quæ jusjurandum poſtulabat, executus eſt. *Theodoretus lib.4. Eccl. hiſt. cap.*11. *Bart.*4.366.

Amalaricus, cùm uxorem ſuam, Childeberti Parthorum Regis ſororem, veræ religionis obſervantiſſimam, eo quòd Arianam ſectam contemneret, contumelioſè tractaſſet, à Childeberto ejus fratre bello vexatus eſt cruentiſſimo. *Michael Ritius lib.*1. *de Regib. Francorum.*

Poſt maximum illud univerſæ terræ diluvium, totus penè orbis fallacium dæmonum fraude inductus, veram unius veri Dei religionem impio multorum, & falſorum deorum cultu, & ſuperſtitione jam commutaverat; mortuos homines primùm propter merita, & beneficia accepta; deinde impios dæmones, ementitis miraculis, & prodigiis hominum oculis atque mentibus ſeſe inſinuantes: poſteà, ſolem, lunam, & eximia quæque naturæ, Deique opera veneratus: deinde verò mutis etiam animantibus, feris, belluis, atque ſerpentibus, cepis, atque aliis: & ad extremum nullum exitum inveniente inſania, ſculptis, factis, pictiſque humana arte ſimulachris divinum hono- D rem impertitus. Verùm eas tenebras tetras, & horribiles, Jeſu Chriſti Dei, hominiſque benignitas, poſt multa ſæcula quaſi lux clariſſima cælitus affulgens, diſpulit, miſſis certis hominibus, qui populum, dæmonum fallacia ita peſſundatum, ab errore ad veritatem, à ſcelere ad innocentiam, à nequitia ad ſanctimoniam, denique à falſorum deorum innumera multitudine, & abominandis ritibus, ad unius veri Dei agnitionem, & rectam, ſanctamque religionem reducerent. Miecislaus itaque junior, qui principatum ſuſceperat, & juſtè quidem adminiſtrabat, adhuc impio dæmonum cultui deditus uxores ſeptem barbarico more duxit, iiſque, & libidini ſuæ liberiùs indulgens, nullos ſuſcipiebat liberos. Erant jam tunc inter polonos nonnulli, qui peregrè revertentes à Bohemis, & Moravis, religionem Chriſtianam domum referebant. Erant & externi partim in miniſterio, & comitatu Principis, partim mercaturam in Polonia exercentes, partim etiam in receſſibus ſylvarum, & ſolicitudinum, quo liberius cultui divino vacarent, degentes, Chriſtiani non pauci. His monentibus, atque ſuadentibus, & religionis Chriſtianæ veritatem, caſtitatemque prædicantibus, poſteritatem denique, & felicitatem Principi, E ſi eam religionem amplecteretur, pollicentibus, Miecislaus priores uxores dimittit, Dambronucamque Chriſtianam Boleslai primi Boemorum Ducis filiam, virginem, de conſilii ſententia novo matrimonio ſibi junxit. Quæ poſtquam Geneſnam ſplendido comitatu advecta eſt, Mieſca, ſive Mieceslaus Princeps baptiſmo, uti convenerat, ritu Chriſtianorum initiatur, & ſubſequentibus diebus nuptias magna celebritate peragit, anno Chriſti 965. Deinde Bohemos, qui novam nuptam deduxerant, honorificè habitos, & ſplendidè donatos remiſit. Mox totum ſe ad propagandam per omnem principatum ſuum religionem, hortante, & adjuvante uxore, convertit. Dum in his totus eſt Miecislaus, naſcitur ei filius ex uxore Dambronuca, anno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ut vult Dugloſſus, eique apud ſacrum fontem avi materni, qui è vivis tum exceſſerat, nomen imponitur. *Martinus Cromerus lib.3. de reb. Polon. an.*965.

☞ *Huc poterunt referri ea, quæ in Loco de Uxore adferentur, Tit. Uxorum officia, & mores.*

SACRAMENTUM, SIVE INDISSOLUBILITAS F
Tertium Matrimonii Bonum.

Tertium bonum matrimonii, inquit Concil. Flor. eſt indiviſibilitas, ſive indiſſolubilitas matrimonii, propter hoc videlicet, quòd ſignificet indiviſibilem conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ. Ob hanc cauſam dixit Dominus *Matth.* 19. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparaſſet: & Apoſtolus præcepit, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam; aut viro ſuo reconciliari, & vir, inquit, uxorem non dimittat. 1. *Cor.*7.

Unde ſequitur, divortium etiam juſtum, & licitum non ſolvere matrimonii vinculum, ſed tantùm thori conſortium.

Balduinus primus Hieroſolymorum Rex, uxores habuit duas. Repudiata enim priore conjuge, Siciliæ Regis viduam duxit, quam conſcientiæ ſtimulo agitatus, tertio anno rejecit, priore iterùm aſſumpta. *Guil. Tyr. lib.*10. *&* 11.

☞ *Huc referri potuerunt nonnulla ex Tit. de Polygamia.* G

Certè Chriſtus luculenter dicit, Quicunque dimiſerit uxorem niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Matt. c.*19. *& c.*5. Quicunque ait, dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, facit eam mœchari. Apud *Card. Bellarm. Tom.*3. *Controverſ. lib.*1. *cap.*16. teſtimonia adducuntur per omnes ætates indiſſolubilitatis matrimonii quoad vinculum, quæ Lector facilè inde excipere poterit.

DE MATRIMONIO RATO NON CONSUMMATO.
Quomodo Dissolvatur.

Matrimonium non conſummatum per copulam carnalem ſolvi poteſt quoad vinculum, per confeſſionem ſolemnem alterius conjugis in Religione approbata, etiamſi alter conjugum repugnet. Eſt deciſio *Alexand.*3. *cap. Verum. & cap. Ex publico.* Item *Innoc.*3. *cap. Ex parte tua, de converſ. conjugat.* denique *Conc. Trid. Seſſ.*24. *can.*6. Eſt enim tranſitus à ſtatu minùs perfecto ad perfectiorem.

Exempla Sanctorum obvia paſſim ſunt, eorum ſcilicet, qui ante matrimonii conſummationem conjuges ſuos reliquerunt, ſtatumque perfectionis amplexi fuerunt. H

Teclam enim id feciſſe amore pudicitiæ Paulo adhortante, teſtantur *Epiphan. hæreſi* 78. *Et Ambroſ. lib.*2. *de Vir.* ita ſcribit:

Sancta Tecla copulam fugiens nuptialem, & ſponſi furore damnata, naturam beſtiarum Virginitatis veneratione mutavit; Namque parata ad feras, cùm aſpectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipſa ſævo offerret leoni, fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes beſtiam, cubitare humi, muto teſtificantem ſono, quòd ſacrum virginitatis corpus violare non poſſet. Ergo adorabat prædam ſuam beſtia, & propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines amiſerant. Videres, quadam naturæ transfuſione homines feritatem indutos ſævitiam imperare beſtiæ; beſtiam exoſculantem pedes Virginis docere, quid homines facere deberent. Tantùm habet Virginitas admirationis, ut eam leones mirentur.

Prioribus Gothorum temporibus fuit juxta Spoletanam urbem vir vitæ venerabilis, Iſaac nomine, qui uſque ad extrema penè Gothorum tépora pervenit, quem noſtrorum multi no-

verunt,

A verunt, & maximè ſacra virgo Gregoria, quæ nunc in hac Romana urbe juxta Eccleſiam beatæ Mariæ ſemper Virginis habitat. Quæ dum adoleſcentiæ ſuæ tempore conſtitutis jam nuptiis in Eccleſiam fugiſſet, & ſanctimonialis vitæ converſationem quæreret ab eodem viro defenſa, atque ad eum, quem deſiderabat habitum, Domino protegente perducta eſt. Quæ quia ſponſum fugit in terra, habere ſponſum meruit in cœlo. *D. Gregor. lib.3. Dialog. cap.14.*

D. S. Euphraſia, narrat ſimilia *Metaphraſtes in vita.*

Eodem teſte S. Cæcilia prima nuptiarum nocte negavit viro ſuo Valeriano debitum conjugale, quia nimirum continenter vivere volebat.

S. Macarius; ut refert *Hieronymus in vita ejus*, celebrato nuptiarum convivio, cùm veſpere thalamum eſſet ingreſſus, urbem egrediens, eremum petiit, ubi ad mortem uſque permanſit. *Gratian, Decr.27.q.2.cap.Scripſit.*

Beatus etiam Alexius Euphemiani clariſſimi viri Romani filius, propter eximium Jeſu Chriſti amorem, prima nuptiarum nocte divina gratia vocatus, ſponſam intactam relinquens, nudus Chriſto famulari cœpit, & illuſtrium orbis terræ B Eccleſiarum peregrinationem ſuſcepit, caſtamque vitam perpetuò duxit. *Gratian. Decr.27. q.2. cap. Scripſit, & Sim. Metaph. in vita ejus.*

Scribit *B. Auguſtinus lib.8. Confeſſ. cap.6.* Duos milites, lecta B. Antonii vita, mox vota monaſtica ſuſcepiſſe, relictis ſponſis, quas habebant; illas verò, cùm id cognoviſſent, ſimiliter feciſſe.

S. Leobardus Arvernus, cùm ad legitimam ætatem perveniſſet, cogentibus juxta conſuetudinem humanam parentibus, ut arrham puellæ, quaſi accepturus daret, impellitur, ſed illi reſpuenti ait pater: Cur, dulciſſime fili, voluptatem paternam reſpuis, nec te conjungere vis connubio, ut ſemen excites de noſtro genere, ſeculis ſequentibus profuturum? Caſſo enim labore exercemur ad operandum, ſi poſſeſſor deerit ad fruendum: vel cur implemus domum opibus, ſi de genere noſtro non proceſſerit, qui utatur; &c. Obedire filios voci parentum ſcripturæ teſtantur divinæ, & tu, cùm inobediens eſſe parentibus proberis, vide, ne te cæleſtibus eruere nequeas ab offenſis. Hæc patre loquente, licèt haberet alium filium, facilè tamen tali ætatulæ perſuaſit voluntati pro- C priæ contraire. Denique dato ſponſæ annulo porrigit oſculum, præbet calceamentum, celebrat ſponſalium diem feſtum. Intereà genitor, genitrixque mortis ſomno ſopiti migraverunt à ſæculo, vitæ poteſtatis curriculo jam peracto. Hic verò, tempore luctus expleto oneratus donis nuptialibus ad domum fratris pergit, quem in tantùm reperit vino madidum, ut nec cognoſceret, nec reciperet in propria domo germanum. Ille verò ſuſpirans, & lachrymans ſeceſſit in partem. Venit ad tugurium, in quo erat fœnum aggregatum, ibique colligato præbens equo pabulum, decubuit ſuper fœnum ad quieſcendum: expergefactus autem media nocte ſurgit de ſtrato ſuo, erectiſque ad cœlum manibus, gratias agere cœpit omnipotenti Deo, quòd eſſet, quòd viveret, quòd aleretur donis ejus; & alia hujuſcemodi proſecutus, cùm ſuſpiria longa protraheret, atque lachrymis crebris genas ubertim rigaret, Deus omnipotens, qui curat illos, quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, compunxit cor ejus, ut relicto ſæculo, manciparetur ad cultum divinum. Tunc ille ſibi ipſi prædicare exorſus eſt, dicens; Quid agis, anima? quid in ambiguo ſuſpenſa teneris? Vanum enim eſt ſæculum, vanæ concupiſcentiæ ejus, vana gloria mundi, & ea, quæ in illo ſunt omnia vanitas. Meliùs eſt igitur eum relinquere, & ſe- D qui Dominum, quàm ad ejus opera præbere conſenſum. Hæc effatus, cùm diem terris reducere lux divina cœpiſſet aſcenſo equo cœpit ad hoſpitium ſuum reverti. Cùmque per viam jam alacris pergeret, volvere intra ſe cæpit, quid ageret, quò abiret; dixitque, expetam B. Martini tumulum, unde procedit virtus alma ſuper infirmos: credo enim, quòd & mihi ejus oratio iter referet ad Deum, qui deprecatus Dominum mortuos reduxit à tartaro: & ſic viam carpens, oratione comite, S. Martini baſilicam eſt ingreſſus. Circa quam paucis diebus commoratus tranſito amne, ad cellulam majori monaſterio vicinam, de qua Alaricus quidam receſſerat, devotus acceſſit, ibique cognovit verum eſſe, quòd ei Dominus inſpiraverat. *Gregor.Tur.lib.1.de vit.PP.cap.20.*

Quantas autem temporis inducias conjugatis datum ſit infra quod poſt initum matrimonium Religionem ingrediantur, diſputatur inter doctores. Conſtat tamen probabiliter coarctatum non eſſe: quamvis alii velint à Judice præſcribi E poſſe duos menſes.

Nihilominus alter conjugum matrimonium cum altero inire non poterit, niſi prior profeſſionem expleverit, adeòque irrevocabilem ſui fecerit traditionem: quia tunc demùm civiliter mori cenſetur, neque poterit tempus profeſſionis abbreviari niſi per Papam.

Aliter matrimonium ratum non conſumatum ſolvi poteſt, per diſpenſationem Pontificis, etiamſi neuter ingrediatur Religionem. Ita de facto à pluribus Pontificibus diſpenſatum conſtat, & matrimonium ſolutum, atque ita ſubindè fieri ſuadet ſalus fidelium, & ſcandala, quæ aliàs orirentur. Unde gravis cauſa requiritur.

D.Anton.3.p.tit.1,c.21.§.3. affirmat, ſe vidiſſe Bullas Martini V. & Eugenii IV. qui hoc diſpenſarunt.

Navarrus in Summa c.22.num.21. refert ter vel, quater ad petitionem ſuam, Paulum III. & Pium IV. diſpenſaſſe.

Cajetanus Card. in opuſculis, tom.1. tract.28. de matrim. q. unica, & Eufriquez lib.11. de Matrim.8.num.15. refert Gregorium XIII. unica die cum XI. diſpenſaſſe. Suntque pro hac ſententia graviſſimi Auctores, neque ad hanc diſpenſationem ut ſic, mutuus conjugum conſen- F ſus exigitur, dummodo juſta cauſa ſubſit, ut rectè *Gozadin. conſ.2. num.14.*

POST INITUM MATRIMONIUM, ETIAM CONSUMMATUM, LICERE CONIVGIBUS VOVERE CONTINENTIAM.

Conjugatis ex conſenſu utriuſque licere ſuſcipere vota perpetuæ continentiæ, negarunt *Petrus Martyr, comment. in. cap.7. epiſt.1. Corinth.* & cum eo Magdeburgenſes, *Cent.4. c.10.* ubi accuſant Malchum Monachum, tamquam matrimonii contemptorem, quia ex conſenſu perpetuò abſtinuit ab uxore, quam duxerat in captivitate ſua. Ubi obiter notanda eſt imperitia, vel nequitia ipſorum; nam ut *Hieronymus* ſcribit *in vita Malchi*, cogebatur Malchus à Barbaris ducere in uxorem mulierem quandam, quæ virum habebat; cùm igitur non poſſet ſine peccato adulterii illam accipere, ſimulavit nuptias, ut mortem evaderet, & illam pro ſorore habuit, & tamen Magdeburgenſes eum reprehendunt, quòd illi mulieri miſceri noluerit.

At hic error impudentiſſimus eſt, & conſtat primò ex ipſo Pauli loco; nam Paulus poſtquam ait: Iterùm revertimini in idipſum, ſubdit: Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam: G non ſecundùm imperium. Ubi illud [ſecundùm indulgentiam] non poſt referri ad illud: Nolite fraudare invicem. Ibi enim locum habet imperium, non indulgentia; neque ad illud: Niſi ex conſenſu ad tempus; ut vacetis orationi: Nam abſtinere ad tempus ex conſenſu propter orationem, non eget indulgentia. Id enim dicimur indulgere, quod non libenter concedimus, ſed quaſi coacti. Paulus autem maximè cupiebat, ut continerent, cùm dicat: Cupio omnes eſſe ſicut meipſum; Ergo illud, [ſecundùm indulgentiam] refertur ad illud: Iterùm revertimini in idipſum. Id enim Paulus non libenter concedit, ſed indulget propter incontinentiam illorum; quomodo exponunt *Hieronymus lib.1. contra Jovinianum. Auguſtinus lib.1. contra Julianum, cap.21. Ambroſius, Theodoretus*, & alii in hunc locum, ergo qui perpetuò continent ab uxore ex conſenſu, rem gratiſſimam Paulo faciunt; tantùm abeſt, ut ipſe id prohibuerit.

Secundò, probatur ex Patribus. *Baſilius in quæſtionibus dif-* H *fusè explicatis, q.14.* Eos, *inquit*, qui in conjugio matrimonii ad talem vitam accedunt, percontari oportet, an ex conſenſu hoc faciant, &c.

Epiphanius hæreſi.59. & Hieronymus lib.contra Vigilantium dicunt, conjugatos non conſueviſſe ſacris, initiari, niſi continentiam perpetuam ab uxore permitterent. Quòd idem ſtatuit *Concilium Arelaten. 11. can. 2.* Idem quoque *S. Hieronymus in epiſt. 14. ad Celantiam*, arguit eam fœminam, quòd ſine conſenſu viri continentiam voviſſet.

Auguſtinus in epiſtola ad Ediciam, quæ eſt 199. Quod inquit, Deo pari conſenſu ambo voveratis, perſeveranter uſque in finem reddere ambo debuiſtis: à quo propoſito ſi lapſus eſt ille, tu ſaltem conſtantiſſimè perſevera. *Et epiſtola 45. ad Arment. & Paulinam:* Ambo, inquit, Deo reddite, quòd ambo voviſtis. *Et infrà:* Sit veſter conſenſus oblatio ad ſupernum altare Creatoris, &c. *Et ſuprà:* Nunc verò quia tenetur apud

A Deum ſponſio tua, non te ad magnam juſtitiam invito, ſed à magna iniquitate deterreo.

Idem Auguſtinus in epiſt.32. ad Paulinum, laudat eum, quòd cum Thereſia conjuge ſua continentiæ votum ſuſceperit: ipſe etiam *S. Paulinus, epiſt.3. ad Aprum*, mirificè eum laudat, quòd cum uxore perpetuam continentiam Deo voverat.

Gregorius lib.9. epiſt.39. ad Theotiſtam patriciam: Si vero inquit, utriſque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accuſare: quando certum eſt, quòd Omnipotens Deus, qui minora conceſſit, majora non prohibuit.

Theodoretus lib.4. hiſt. cap.13. laudat Pelagium Laodicenſem Epiſcopum, quòd prima die nuptiarum, cùm ipſe juvenis juvenem ſponſam accepiſſet, ei perſuaſerit, ut ſimul continentiam voverent.

Hilarius Arelatenſis in epiſtola ad Auguſtinum, quæ præponitur libris de Prædeſtinatione. Sciat, inquit, ſanctitas tua, fratrem meum cum matrona ſua ex conſenſu perfectam Deo continentiam devoviſſe: unde rogamus ſanctitatem tuam, ut orare digneris, quò hoc ipſum in eis Dominus confirmare, & cuſtodire dignetur.

EXEMPLA SACRA, ET HISTORICA.

B Probatur Tertiò exemplis eorum, quos rectè feciſſe, quòd ex conſenſu continentiam voverint, nullo modo negari poteſt, cum ſancti fuerint, & miraculis claruerint.

Primùm exemplum eſt MARIÆ, & JOSEPH. Quod enim veri conjuges fuerint, patet ex Evangelio *Matthæi 1.* Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Et: Joſeph vir ejus cùm eſſet juſtus, &c. quod autem ex conſenſu perpetuò continuerint, certum eſt. Fuit enim error Helvidii à tota Eccleſia damnatus, quòd Beata Maria non fuerit ſemper Virgo. Undè *B. Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum lib.2. cap.1.* Hoc exemplo, inquit, magnificè inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervata pari conſenſu continentia, poſſe permanere conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu. Neque hoc exemplum adverſarii negare poſſunt.

Nam Centuriatores *Cent.1. lib.1. cap.10. col.366.* dicunt Joſephum, & Mariam ita verum conjugium contraxiſſe, ut voluerint ſtatuto tempore, more aliarum conjugum liberos procreare. Quod etiam docet *Martinus Bucerus in cap.1. Matth. Petrus Martyr. in libro contra Simithæum de cœlib. & Calvi-* C *nus in 1. cap. Luc.* Id autem etſi blaſphemum eſt, cùm B. Mariam virginitate animi, quæ ſola virtus eſt, ſpoliare nitatur, tamen in eo nobis deſeruit, quòd hinc habemus, non poſſe negare hæreticos quin veri conjuges fuerint Maria, & Joſeph.

Porrò idem Centuriatores *Centuria 4. cap.5. collat.405.* dicunt, errorem Helvidii eſſe, dicere B. Mariam aliquando cum Joſepho viro ſuo rem habuiſſe: nec poſſunt dicere, B. Mariam, invito Joſepho, ſe continuiſſe, nec à contrario, cum uterque ſanctiſſimus fuerit.

Secundùm exemplum eſt apud Caſſianum, *Collat.1. cap.7.* Ubi, refert, Laicum quendam, quia cum uxore ſua ex conſenſu continentiam virginalem colebat, adeò claruiſſe, ut dæmonem quendam ferociſſimum, quem S. Joannes Abbas expellere ab obſeſſo corpore non potuerat; ipſe ſola ſua præſentia mox expulerit.

Tertium eſt S. Paulini, & Tharaſiæ uxoris, qui ex conſenſu votum perpetuæ continentię ſuſceperunt. *De quo vide epiſt.32.* D *Auguſtini ad Paulinum.*

Quartum eſt S. Maturiani, & Maximæ uxoris. *De quod vide Victorem lib.1. de perſecutione Vandalica.*

Quintum eſt apud Gregorium Turonicorum *de gloria Confeſſorum, capite 32.* ubi refert, quòd cum ex duobus conjugibus, qui ſemper ex conſenſu caſtè vixerant, altera mortua eſſet, alter in hæc verba prorupit: Gratias tibi ago, omnipotens conditor, quòd hanc puellam, ſicut eam tradidiſti impollutam, & ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi reſtituo: illa verò etiamſi mortua eſſet, ſubridens, ait: Sile vir Dei, quia non eſt neceſſe proloqui noſtrum, nemine interrogante, ſecretum.

Sextum eſt S. Eduardi Angliæ Regis, de quo *Surius Tom.1.* ex antiquo manuſcripto refert, quòd cùm unà cum uxore virgo permanſiſſet, multis miraculis claruit, & poſt annos centum à morte inventus eſt omninò integer, adeò ut ne barba quidem illi, quæ prolixa, & cana fuerit, decidiſſet.

Septimum eſt S. Catharinæ Svecæ, quæ cum viro ſuo virgo E permanſit, & miraculis claruit. *Volaterranus lib.22.*

Octavum Boleslai Pudici Polonorum Regis. De quo ſic canit *Clemens Janitius Polon.*

Conjuge conſenuit cum Virgine virgo maritus,
Addictus ſtudiis caſta Diana tuis.

Nonum eſt Alphonſi II. Regis Caſtellæ, de quo ſimilia refert *Volaterranus lib.2.* quòd nimirum miraculis claruerit, & ab uxore perpetuò ſe continuerit. Novem his alioquin notiſſimis alia non minus illuſtria exempla adiicimus, & miracula, quibus à Deo firmantur.

S. Amelberga illuſtriſſimis orta natalibus, S. Adelberti Cameracenſis Eccleſiæ præſulis, & quatuor Deo dedicatarum ſororum, Reinildis, Pharaildis, Ermelendis, & Gudilæ mater fuit; quarum poſtremam, nempè Gudilam, cùm utero geſtaret, & ante paucos puerperii dies inſtar parturientium angeretur, angelica conſolatione recreata eſt, dicente angelo ad eam: Ne timeas Amelberga: lachrymæ, & preces, atque eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad Dominum. Paries filiam Deo dilectam, ſummæ continentiæ, & caſtitatis integritate conſpicuam, quæ omnibus vitæ ſuæ diebus Deo gratum exhibebit famula- F tum. Poſt eam verò nullam deinceps conceptura es prolem, ſed in caſtitate perſeverans cum marito tuo, mutatis veſtibus, & monaſtico habitu ſumpto, ambo voſmetipſos gratas Domino hoſtias immolabitis, & in ſancta converſatione uſque in finem perdurabitis: filiam autem Gudilam, ubi ea nata fuerit, Gertrudi offeres è ſalutari lavacro ſuſcipiendam, & in Chriſto, lacte verbi Dei, ut Apoſtolus monet, enutriendam. Tum illa; Gratias, inquit, tibi ago, Domine Jeſu Chriſte, qui pro mea conſolatione Angelum tuum ſanctum è cœlis mittere dignatus es. Cùm autem filiæ ejus ab infantia vitam caſtiſſimam ducere conſtituiſſent, licèt multi regni proceres, propter nobilitatem, & opes, illas ſibi matrimonio jungi percuperent, maluere Virginitatis tenere propoſitum, & ſponſo immortali Chriſto Jeſu adhærere potiùs quàm mortalium hominum conjugiis copulari. Placuit etiam parentibus mundo vale facere, quò liberiùs poſſent uni Domino Jeſu Chriſto militare. Et Vvitgerus quidem princeps ſapientiſſimus, ut erat ab Angelo prædictum, monaſticæ vitæ inſtitutum complexus eſt: Amelberga verò ſacrum velamen accepit à ſancto Auberto Cameracenſi Epiſcopo: & ſe totam Domino conſecravit. *In vita ejus* G *apud Sur.Jul.10. ex codic.m.s.*

Julianus Antiochenus martyr, & Baſiliſſa, nuptiis in ſe celebratis, cùm Julianus continentiæ votum ſuſcepiſſet, brumæ tempore roſarum, ac liliorum fragrantiam in cubili collocari ſenſerunt, ſtupentique puellæ ſponſus dicit, odorem hunc munditiæ virginalis eſſe. Cujus quidem ſuavitate illa capta, unà cum ipſo in virginitate perſeverare decrevit. Propoſitum amborum confirmavit viſio: Chriſtus enim cum Matre Virgine illis apparuit, pudicitiæque corollis donatos dimiſit. Cumque diù ſimul caſtè, ſanctèque vixiſſent, religioni ſeſe tradidere. Alter Abbas, monachis, alter Abbatiſſa præfuit virginibus. Julianus poſtremò martyrii quoque palma glorificatus, ſicut carnis laſciviam pudicitia, ita tormentorum vim patientia ſuperavit. *Marul. l.4. cap.7. ex Metaph. apud Sur.9. Ian.*

Amator quoque Epiſcopus Antiſiodorenſis, in annis juvenilibus literis eruditus, Deo jam devotiſſimus, à parentibus inſignibus coactus, virginem deſponſavit, quam tamen, ut virginitatem profiteretur, ſuadendo induxit, & ipſe ſimili ſe voto conſtrinxit. Cùm autem uterque votum emiſiſſet, Angelus Domi- H ni eis aſtitit, duas coronas afferens, & ſingulas ſingulis imponens, eos in ſancto propoſito confortavit. Puella igitur monaſterium virginum ingreſſa eſt; Amator verò clericus factus, poſt mortem Eladii Antiſiodorenſis Epiſcopi eodem in pontificatu ſurrogatur: qui pluribus miraculis effulſit. *Petr. de Natalib.4. Catal. SS. cap.113.*

Sancti Antonii Magni tempore viguit Amon ille ægyptius, qui à propinquis, & familiaribus coactus uxorem quidem duxit, cum ea tamen conjugii more, uti viri conſuevere, congreſſus non eſt. Cùm namque nuptiarum dies adveniſſet, & ſponſa, ſicuti fieri aſſolet, in thalamum ejus deducta eſſet, ſolus cum ſola colloquutus, finem jam ſuum nuptias habere dixit, & magnum quiddam fore, ſi virgines vitam exigerent, docuit: præmiaque cœlibatus commemorans, perſuadere ei conatus eſt, ut ſolitariam pro ſe uterque ſectaretur vitam. Et puella quidem verba ejus laudibus extulit, ſegregari tamen ab eo prorſus noluit

A luit. Itaque Amon decem,& octo annos cum ea vixit ſeorſum cubans, & quod ſecundùm Deum eſt, vitæ inſtitutum colens. Muliercula verò æmulatione illius,& ipſa ſpe,animoque erecta, iniquum eſſe exiſtimavit, ſua cauſa tantùm virum in obſcuro latere,& utrumque potiùs ab altero ſegregatum,pietatem exercere debere cenſens, ſeparari à viro petiit. Atque ille relicta mulieri domo,ipſe meridiem verſùs ad lacum Mareum in ſolitudine, circum Scetin,& Metriæ montem duos,& viginti annos monaſticam eſt philoſophatus *Niceph.lib.8. cap.4.Trip.1. cap.11.Pallad.cap.8.*

Pulcheria Theodoſii junioris ſoror,ita à prima ætate ſapuit, ut virtute, & civili prudentia facilè aliis non cederet: ſciebat namque principibus ad ſalutem, ſolam ſatis veriorem eſſe pietatem; ſicuti contra, abſque illa nihil proſunt exercitus, equi, ſatellites,enſium vis, vivorumque innumerabiles copiæ,aurum item, & argentum, plurima terræ jugera, & quicunque alius prætereà eſt apparatus: etenim ipſa nondum quindecim annos nata ſapientiorem, diviniorемque, quàm ætas ferret, obtinuit mentem. Et primùm quidem virginitatem ſe per vitam omnem conſervaturam eſſe Deo vovit; deinde ut idem facerent ſorores, eis quoque perſuaſit, ne per ſuas ſcilicet, aut ſororum ſua-B rum nuptias,æmulationem,atque contentionem in imperialem aulam induceret. Quare omnium inſidiarum occaſionem præcidit. Sub mortem verò fratris,ipſa Marcianum accerſit, virum prudentia, & gravitate morum præclarum, & ſenio jam venerandum, & conſilio de imperii ſucceſſione cùm eo communicato; Te, inquit, ego ex Senatu omni præ cæteris imperio dignum judico, proinde juſurandi religione interpoſita, te vitæ, & poteſtati, maximè autem virginitati meæ, quàm à prima adoleſcentia Deo conſecravi, non inſidiaturum eſſe, imperium ipſum cape. Poſtquam ille,quod Auguſta volebat, peregit, Patriarcha Anatolio, & Senatoribus convocatis ad Septimum, ſtatim eum Imperatorem creavit. Illa haud immemor, inquit Baronius, facti hujus digniſſimum in divinis Scripturis exemplum haberi literis commendatum, cùm ſanctiſſima Virgo Deipara ita fuit matrimonii legibus juncta conjugi, ut nunquam deſierit eſſe virgo. *Nicephor.lib.14. cap.2. & 58. Baron.tom.6. anno Dom.450.*

C Henricus ejus nominis ſecundus, vel ut alii volunt, primus Imperator, ingrediens Romam, ſolebat ſemper primam noctem in Eccleſia S. Mariæ Majoris manere. Contigit autem ſemel, quòd dum ſolitarius oraret, viſus ſit ſibi Chriſtus Pontificalibus indutus procedere Miſſam celebraturus; quem ſequebatur S. Laurentius, & loco ſubdiaconi vincentius; poſt hos Virgo Dei Genitrix cùm multitudine Virginum, & Angelorum, dehinc Joannes Baptiſta cum Patriarchis,& Prophetis: poſt hos Petrus, & Joannes cum cæteris Apoſtolis, & Evangeliſtis, S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cum Confeſſoribus. Angeli inceperunt introitum, ſuſcepimus, Deus, miſericordiam tuam, & dum cantaretur; Dextra tua plena eſt juſtitia, omnes Chriſtum, & Beatam Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum. Poſt Evangelium indicibili jubilo Angelus librum deoſculatum à Chriſto præſentavit B. Mariæ, & poſt eam omnibus per ordinem deoſculandum, demum innuit Beata Virgo Angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad oſculandum, dicens: Præbe ei pacis oſculum, cujus mihi Vir-D ginitas placet: & cùm præ nimio gaudio raptus neſciret ad plenum intendere, Angelus ipſum in neruo tangens, dicit: Hoc tibi erit ſignum dilectionis Dei propter tuam caſtitatem, & juſtitiam; & exinde uſq; ad mortem claudicabat; ex quo eventu vocatus eſt Henricus Claudus. Licèt autem hic Henricus, & Kunegundis ejus uxor, in virginitate voluntaria permanſerint; tamen, ut ibidem refert Nauclerus, inſtigante diabolo grandis intervenit perturbatio. Nam Henricus Cunegundem cum quodam milite ſuſpectam habere cœpit; ſed Beata Virgo ſe expurgans, ſuper candentes vomeres (utor verbis Naucleri) nudis pedibus inceſſit per 15. paſſus, dicens: O Deus, ſicut me non ſolùm ab Henrico, ſed etiam ab omnibus viris intactam noviſti, ita me adiuva: ad quæ audita eſt vox: ne dubites, ò virgo, te liberabit Virgo Maria; & ſic illæſa pertranſiit. Vixit uſque ad ann.1039. Poſt mortem multis claruit miraculis. *Albert. Crant.lib.4. Metrop.cap.5.Joan. Naucler. tom.7.gen.35. & Bred.lib.8. Collat.cap.53. Baron.11.an.1042.9.*

Anno Dom.973 Petrus Urſeolus Venetorum XXIII. Dux, vir tam optimus à populo judicatus, quàm religioſiſſimus, ut qui ſæpè clanculum cubicula pauperum ægrotantium adire ſoleret, ac rogare, ſi quid opus; Gradum civitatem muro cinxit, E templum D. Marci incendio abſumptum reſtituit, propiuſque Xenodochium nobile extruxit. Denique compoſitis patriæ rebus, magiſtratu ſe abdicans, cum uxore, quam poſt ſuſceptum filium ex voto utriuſque nunquam attigit, ex urbe in Aquitaniam ſe contulit, ubi cœnobio perpetuò dicatus miraculis claruit. *Raphael Volaterran.lib.4. Com. in Geographia de Reb.Venet.ann.973.*

Quid porrò ſanctus, & illuſtris Galliæ Comes Elzearius? qui ſub Carolo ſecundo Hieruſalem, Siciliæque Rege clarus eſt habitus, & cui æquè nobilis, ac pia Delphina virgo ſponſæ loco contigit in urbe Maſſilienſi. Non ſat illis viſum eſt virginitatis virtutem in aliis ſuſpicere, ſed & ipſi admirando conſilio ducti, quoniam caſti ad conjugium acceſſerant, ſuæ virginitatis florem nulli præterquam Jeſu Nazareno offerre, conſecrare, ſervare voluerunt. Itaque ſacram ædem adiere, ſuas Deo preces effudere, & poſt ſanctiſſimum Chriſti corpus reverenter acceptum, flexis genibus, junctis manibus, erectiſque in cœlum animis vota in hunc modum præeunte ſponſo, diſertè fecerunt: Domine Jeſu Chriſte, à quo bonum omne, & donum proficiſcitur, ego peccator fragilis, & infirmus ſine tuo ſpeciali dono non poſſum caſtè, & continenter vivere, ſed de tuo ſingulari adjutorio confidens, voveo, & promitto F tibi, & ſanctiſſimæ matri tuæ, atque, & virginitatem ſervaturum, quam hucuſque tua benignitate in me cuſtodiviſti. Atque hujus promiſſionis exequendæ cauſa paratus ſum quaſcunque afflictiones, & pœnas, atque etiam mortem ipſam perpeti. *Pet.Caniſ.lib.2. de Deipara, vir.c.11. & Sur.in vita ejus cap.5.27.Sept.*

Quidam ſæcularis veniens ad Abbatem Joannem, & portans ei quaſdam frugum ſuarum primitias, reperit ibi hominem ferociſſimo obſeſſum dæmonio, qui adjurationes, & juſſiones Joannes deſpiciebat, proteſtans ſe nequaquam exiturum à corpore, quod poſſedit ad Joannis imperium: ſed adventu viri ſæcularis, ita protritum eſt, ut cum reverendiſſima nominatione ipſius mox fugerit. Cujus viri tam evidentem virtutem, & gratiam Abbas vehementer admirans, præſertim cùm videret eum habitu ſæculari veſtitum, cœpit ab eo diligenter inquirere qualitatem, & ordinem vitæ ſuæ. Qui cùm reſponderet, ſe eſſe ſæcularem, & uxoratum, Joannes mente pertractans excellentiam virtutis, & gratiæ ejus, attentiùs inveſtigavit converſationem ipſius: qui teſtabatur ſe ruſticum, quotidianumque victum opere manuum quærere, nec alicujus boni ſe conſcium, niſi quòd de manè nunquam G proceder et ad exercenda opera ruſticana, neque de veſpere domum rediret, niſi priùs in Eccleſia referret gratias Deo pro victu quotidiano, nec unquam uſurpare ſe aliquid de fructibus ſuis; niſi priùs offerret Deo primitias eorum, ac decimas, nec unquam duxiſſe ſe boves ſuos per agros, meſſeſque aliorum, niſi ora eorum priùs ligaret, ne proximis ſuis vel modicum damnum incurreret ex negligentia ſua. Denique cùm nec iſta viderentur Abbati idonea reſpectu tantæ gratiæ, qua vidit illum ſe eſſe perfectiorem, & ſciſcitans ſcrutaretur, quidnam eſſet, per quòd tanti eſſet meriti, ille aſtrictus reverentia tam ſollicitæ inquiſitionis, confeſſus eſt ſe accepiſſe uxorem ante duodecim annos ex compulſione parentum, cùm monachus fieri vellet, nec ſe illam unquam cognoviſſe, ſed loco ſororis habere, ac virginem cuſtodire, nemine id ſciente. Quo audito ſenex tanta admiratione repletus eſt, ut coram viro illo publicè fateretur, quòd dæmon, à quo ipſe erat deſpectus, meritò tolerare non potuit illius præſentiam, cujus virtutem appetere ipſe non auderet, non ſolùm in juventutis fervore ſine caſtitatis diſcrimine, immò nec modò in ſenio ſuo. *Io.Caſſian.lib.14.Collation.Patrum cap.7.* H

MATRIMONIUM RATUM, ET CONSUMMATUM NUNQUAM QUOAD VINCULUM SOLUBILE.

Errores variorum.

Etiam matrimonium Fidelium ratum, & conſummatum diſſolvi quoad vinculum ratione adulterii ab alterutro commiſſi, docent Græci: & ex Latinis Catholicis, Catherinus, & Eraſmus: Ex hæreticis, Calvinus, Kemnitius, Melanchton, qui hanc addit cauſam, ſi conjux conjugem injuſtè deſerat.

Lutherus plures cauſas dat, nempè ſi conjux conjugem ad furtum inducat, aut aliud peccatum, vel moleſtis afficiat, vel pauper cùm divite contraxerit, & impediantur cohabitare per amicos.

Bucerus ſolam diſplicentiam cauſam ſufficientem ponit. A *In cap.19. Matthæi.*

Mahometani, ſterilitatem, & improbos mores ſufficere ad dirimendum matrimonium, ex Alcorano ſuo docentur. Qui etiam dicit, unam pro alia uxorem ducere fas eſſe, quoties continget aliquam virum ſuum non diligere.

Adversùs hos errores fidei eſt definitio, quæ ſtatuit vinculum matrimonii conſummati inter fideles, vivente altero conjuge, nullo modo diſſolvi poſſe, ſic ut liceat ad alteras nuptias tranſire. Quando autem cenſeatur matrimonium conſummatum, videatur *Sanchez l.1. de Matr. Diſp.21.q.1.2.ſeq.*

POENA EJUS, QUI VIVENTE PRIMA DUXERIT ALIAM.

Maximi ſemper criminis reatu dignum cenſuerunt Doctores, ſi quis conjuge vivente, aliam duxerit. Præter enim ignominiam, punitur arbitrio Judicis, & more gentis, eſtque crimen mixti fori, quòd præventioni locum facit: videatur *Ignatius Lopes in Pract.Crimin.Canon.c.80.& Felinus*, aliique.

* DE DIVORTIO.

B Quid Sit.

Divortium vocant Theologi ſolutionem matrimonii quoad thorum, & cohabitationem; ſi etiam quoad vinculum, Repudium.

Juriſperiti repudium dicunt dimiſſionem tum ſponſæ, tum uxoris: Divortium ſolius uxoris, ſive quoad thorum, ſive quoad vinculum. *L. inter ſtuprum. L. inter divortium. ff. de verb. ſignif.*

Quando Fiant. Et Quomodo.

Hæretici non admittunt divortium manente vinculo conjugali: verùm dari tale, & duobus modis ſolvi matrimonium conſummatum quoad thorum, & ſocietatem, fidei eſt. Primus modus eſt ex conſenſu communi, ob perfectiorem ſtatum, puta ſi uterque ad Religionem velit tranſire, cujus rei notiſſima ſunt, & quotidiana exempla. Ac promittit Chriſtus, centuplum etiam iis, qui ob nomen ſuum uxorem dimiſerint. *Matth. cap.19.*

Alter modus, ſi etiam alter confugium repugnet, cujus plures ſunt cauſæ. Prima fornicatio alterius conjugis. De qua *Matth.5. & 19.* ſub quo nomine omnis illicitus coitus compre-C henditur, interveniente tamen ſententia judicis: ut qui peccati reus, domo, & ſocietate pellatur, dummodo matrimonium in facie Eccleſiæ fuerit ſolemnizatum, quia in clandeſtinis privata dimiſſio ſufficeret. Ita *Ricard. & Dom. Soto.*

Altera cauſa eſt hæreſis, & Apoſtaſia, ob periculum ſubverſionis. *Cap. Quæſit. de divortiis.*

Addunt alii poſſe uxorem à viro diſcedere, nolente abſtinere à furtivis, ſed non facilè id admiſerim.

Juſta autem divortii cauſa fuerit, ſi alter cum altero ſecurè vivere nequeat: aut enormis viri ſævitia, conjugis furor, ſi uxor convincatur maleficii, aut veneficii: videatur *L.conſenſu. Cod. de repud. & Origen.hom.7. in Matth.*

Exempla horum, ita quotidie proh dolor! in Tribunalibus Eccleſiaſticis abundant, ut perperam facturus ſit, qui eadem in lucem proferre voluerit, cum optandum foret ab ejuſmodi ſordibus Rempublicam Chriſtianam purgari.

* DE LIBELLO REPUDII APUD JUDÆOS.

Quid Fuerit.

D Libellus Repudii erant apud Judæos Litteræ dimiſſoriæ, quibus vir declarabat ſe dimittere non ſolùm quoad thorum, & cohabitationem, ſed omnino repudiare uxorem, ſic ut aliam is duceret, & illa alteri nuberet. Hebræis dicitur Libellus Keritut, id eſt, exciſionis, vel abſciſſionis.

An, Quando, Quibus, Et A Quo Conceſſus.

Declarat Dominus in nova lege *Matth.19.* propter duritiem cordis Judæorum, qua occiſuri erant uxores ſuas, quas repudiare non poterant, Deum diſpenſando in jure naturali, permiſiſſe maritis Judæorum repudium uxorum ſuarum: idque non tantùm ut minus malum, ſed ut licitum, nempè ut impunè id facerent: ſolvebatque matrimonii vinculum, quòd E conſtat *Deut.cap.24.* ubi dicitur de repudiata, quòd alterum maritum ducere potuerit, *verſ.2.* omniſque repudii ritus ibidem deſcribitur.

Causæ.

Hanc cauſam Repudii indicat per Moyſen Deus: ſi acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii. Pro (fœditatem) dicitur Hebræis ערות ervat, id eſt, nuditatem, unde *Tertullianus lib.4.contra Marchion.* putat ob ſolam fornicationem datum libellum repudii.

At paſſim Interpretes generalius fœditatem accipiunt pro turpitudine tum animi, tum corporis, tales erant lepræ, ſterilitas, veneficium, rixæ, ebrioſitas, aliique pravi mores.

Quamvis non ex quavis exigua fœditate id potuerint Judæi: unde *Malachias cap.2.* reprehendit illos, qui illecti pulchritudine alterius, priorem dimittebant, atque in eo peccabant.

Ritus.

F Repudium hoc varios ritus exigebat. Primùm enim fiebat coram judice competente, & id ſecundùm certam formulam, cujus tenorem Hebræi fuiſſe tradunt.

Ego Rabbi Simeon, filius Rabbi Abraham, filii Rabbi David, filii Rabbi Salomonis, die prima menſis ſecundi, anno 5296. à creatione mundi, hìc, & in civitate, ex animi mei conſenſu, & ſine ulla coactione, repudiavi Rachel, filiam Rabbi Moſis, filii Rabbi Joſeph, filii Rabbi Jacob; & dedi illi librum repudii in manu, ſchedam abſciſſionis, & ſignaculum diviſionis, ut ſit à me abjecta, & abeat quocunque velit, & nemo poſſit illi prohibere, juxa conſtitutiones Moyſis, & Iſrael.

Cauſam autem conſcribendi hujus Libelli aſſignat *S. Auguſtinus lib.19. contra Fauſtum 26.* Deus, inquit, interpoſuit hanc moram, ut in diſſidium animus præceps, libelli conſcriptione contractus, abſiſteret, & quid mali eſſet uxorem dimittere, cogitaret, præſertim quia ſcribæ, quorum erat literas ſcribere, quaſi viri prudentes, diſſidii diſſuaſores erant.

Altera cauſa fuit, ut legitimè, & juridicè res fieret, ne repudians poſteà repudium negaret, & repudiatam contra legem reciperet. Rurſum ut repudiatæ conſuleretur, illaque novas nuptias inire poſſet; per libellum enim hunc ipſa omnibus demonſtrabat, ſe à priore marito, & matrimonio eſſe liberam, & ſolutam; alioqui enim adulteriis, & litibus res hæc fuiſſet obnoxia, uti in matrimoniis clandeſtinis accidiſſe vidimus.

G Dimiſſam priorem uxorem per repudium, non poterat maritus repudians ad ſe recipere, poſtquam ſecundas nuptias cum altera iniviſſet, quia polluta eſt, inquit, Scriptura. *Deuter.24. verſ.4.* nempè quia ab alio viro cognita, fuiſſetque facilis ad divortia aditus, ſi poſt ſecundas nuptias licitus fuiſſet regreſſus ad priorem maritum.

Usus.

De Judæis uſitatum Repudii libellum apud illos conſtat. Apud Romanos etiam invaluit, eratque ea formula, *Res tua, curato. Res tuas tibi habeto.* Ut conſtat ex *Jure Civili Tit. de Divortiis.*

Medos, & Perſas uſos repudio etiam probat hiſtoria Eſther, ubi inducitur Aſſuerus repudiaſſe Vaſthi reginam, *cap.2.verſ.19.* Idque juxta legem Perſarum, & Medorum ejuſque repudii cauſa erat inobedientia, quòd vocata ad Regem venire detrectaſſet.

De Philiſtinis idem patet: nam Samſon veniens ad uxorem ſuam, invenit alteri traditam, dicente patre ipſius, putavi, quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo. *Judic.14.* H

Cessatio.

Cæterùm Chriſtus *Matthæi cap.19. verſ.8. & ſequent.* abſolutè revocat diſpenſationem Dei in lege matrimonii, tollitque omne jus repudii, atque ipſum matrimonium revocat ad primævam ſuam naturam, inſtitutionem, & inſolubilitatem; ita ut jam poſt Chriſtum, repudium nec ullis Chriſtianis, nec Judæis, nec Paganis, nec ulli hominum liceat. Errat ergo Paulus Fagius, & Hæretici, qui etiamnum Chriſtianis licere repudium docent, quia quòd Deus conjunxit, homo non ſeparet.

A

IMPEDIMENTA MATRIMONII.

Quæ nam Sint. Et Quotuplicia.

Duo ſunt genera Impedimentorum. Quædam enim impedientia ſunt, quæ contractum matrimonialem faciunt illicitum, non tamen irritum, quia per ea nihil eſſentiale à matrimonio tollitur. Quædam ſunt dirimentia, quæ invalidum, ac irritum reddunt contractum, ita ut ſi de facto contrahatur non de jure, dirimi, ac nullum declarari debeat.

Dirimentia.

Numerantur hujuſmodi dirimentia XII. eaque his verſiculis continentur: niſi quòd noviſſimè à Conc. Trid. acceſſerit XIII. Abſentia Parochi, & Teſtium.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

B Sed, ut hujus numeri ratio intelligatur, ſciendum eſt, omnia impedimenta revocanda eſſe ad conſenſum conjugum, vel ad perſonas contrahentes. Nam cùm tria ſint neceſſaria ad omnia Sacramenta, materia, forma, & intentio Miniſtri; in hoc Sacramento materia ſunt perſonæ legitimæ; ex conſenſu autem pendent, forma, & intentio. Eſt enim conſenſus cauſa efficiens Matrimonii, ſigna verò exprimentia conſenſum forma: unde ſi conſenſus adſit, ſigna erunt falſa; & ſimiliter ſi conſenſus adſit, intentio aderit; ſi conſenſus abſit intentio aberit.

Itaque ad Matrimonii Sacramentum nihil aliud requiritur eſſentialiter, niſi conſenſus ſigno expreſſus inter legitimas perſonas.

Jam igitur ex parte conſenſus ſumuntur duo generalia impedimenta, ignorantia, & coactio: hæc enim duo faciunt involuntarium.

Ad Ignorantiam pertinet error perſonæ, quod eſt primum impedimentum: neque enim conſentire cenſetur in matrimonium, qui uni perſonæ jungitur, exiſtimans eſſe aliam.

Item conditio perſonæ, quod eſt ſecundum impedimentum, ut, cùm quis ſervam accipit, quam liberam eſſe credebat.

C Huc etiam pertinet carentia uſus liberi arbitrii, neque enim pueri, furioſi, amentes contrahere poſſunt, cum deliberatum conſenſum habere nequeant: & hoc impedimentum non eſt inter illa duodecim numeratum, ſed reducitur ad errorem.

Ad coactionem pertinet vis, ſeu metus, quod eſt impedimentum ſeptimum.

Ex parte perſonarum contrahentium ſumuntur cætera omnia, quorum alia reddunt perſonam inhabilem abſolutè, & proinde reſpectu cujuſcunque Matrimonii: Alia reddunt inhabilem ſolùm reſpectu alicujus Matrimonii, cum certa perſona contrahendi, non autem abſolutè.

Ex his, quę reddunt perſonam inhabilem abſolutè, alia ſunt naturalia, alia voluntaria.

Naturale impedimentum eſt frigiditas, & impotentia quævis coeundi perpetua, ſive innata, ſive maleficio procurata, & hoc eſt impedimentum duodecimum.

Voluntaria impedimenta ſunt, Votum ſolemne continentiæ, Ordo ſacer, & Ligamen cum alio conjuge, quæ ſunt impedimenta III. VIII. & IX. qui enim alligati Deo D per vota monaſtica, aut per ſacros Ordines, vel conjugi per matrimonium, non poſſunt novum conjugii vinculum accipere.

Ea verò, quæ inhabilem faciunt reſpectu certi Matrimonii, non autem abſolutè, tria ſunt: Crimen, nimia conjunctio, & nimia diſiunctio.

Crimen eſt impedimentum quintum, & per crimen intelligitur adulterium conjunctum conſpirationi in mortem conjugis, aut cum promiſſione in ordine ad futurum conjugium. Non enim poteſt, qui cum aliqua adulterium commiſit, cum promiſſione futurarum nuptiarum, vel ejus viro necem molitus eſt illam unquam ducere in uxorem, idcòque hoc impedimentum dirimit certum aliquod Matrimonium, non autem omnes abſolutè.

Nimia diſiunctio vocatur cultus diſparitas, & eſt impedimentum ſextum, non enim poteſt fidelis cum infideli contrahere Matrimonium.

Nimia conjunctio eſt cognatio, ad quàm tria impedimenta revocantur: nimirum cognatio naturalis, quæ dicitur pro- E priè conſanguinitas, & eſt impedimentum Quartum, & ad illud reducuntur cognatio ſpiritualis, qualis eſt inter baptizantem ſeu confirmantem, & baptizatum ſeu confirmatum; & cognatio Legalis, quæ fit per adoptionem,

Huc etiam pertinet affinitas, quæ per carnalem copulam acquiritur, quæ eſt impedimentum undecimum.

Et denique publica honeſtas, quæ eſt affinitas orta ex ſponſalibus, & eſt impedimentum decimum.

De Conſanguinitate autem, & in quibus gradibus dirimat matrimonium. ☞ *Pete ex Tit. de Conſanguinitate, Cognatione*, &c.

Exemplis idem impedimentum declaretur.

Impedimentum Cognationis, & Affinitatis.

In lege Veteri præſcripſit Deus per Moyſen varios gradus conſanguinitatis, & affinitatis, in quibus iniri matrimonium vetat. *Cap.*18. *Levit.* vetatur matrimonium, aut copula cum patre, & matre, *verſu* 7. cum noverca *cap.*8. cum ſorore *verſu* 8. cum nepte *verſ.*10. cum ſorore privigna, *verſ.*11. cum amita, & matertera, *verſ.*12. & 13. at matrimonium patrui cum F nepte non prohibetur, tale enim fuit Othonielis, & Axæ, *Judic.*1. *verſ.*13.

In gradibus Affinitatis vetatur matrimonium, & copula cum uxore patrui. *verſ.*14. cum ſorore uxoris, *verſ.*18.

Decem concubinas ſuas, quas Abſalon filius ſuus violaverat, incluſit David, & nunquam ampliùs cognovit, quòd ex conjunctione, cum Abſalone filio eſſent ipſi quodammodo factæ nurus. 2. *Reg.*20.

In nova Lege Joannes Baptiſta arguebat Herodem, propter uxorem fratris, quàm ſibi copulaverat, vivente adhuc fratre, & poſt ſuſcitatum ex ea ſemen. De quo ☞ *Vide Locum de Cognatione.*

MATRIMONIA INTER CONSANGUINEOS Illicita. A Deo, et Hominibus Reprobata.

Anno Dom. 998. mortuo Hugone Francorum Rege, Robertus ejus filius, qui cum patre regnare cœperat, ſolus ſumma rerum potitur. Hic autem ob illicitum contractum cum affine, atque commatre conjugium coercitus eſt. Cùm enim ea de cauſa celebrata eſſet in Galliis Synodus, in qua adula- G tione Epiſcoporum conceſſum ei fuit tale conjugium: reclamante Gregorio V. Romano Pontifice eſt diſſolutum, & delinquentes Epiſcopi pœnitentia caſtigati. Sed Deus terribile in ejuſmodi miſeros homines exhibuit judicium: nam ex illa uxore ſibi propinqua ſuſcepit Rex filium, anſerinum per omnia collum, & caput habentem. Quos etiam, Regem, & uxorem, omnes ferè Galliarum Epiſcopi à ſummo Pontifice coerciti communi ſimul excommunicavere ſententia. Cujus ſacerdotalis edicti tantus omnem ubique populum error invaſit, ut ab ejus ſocietate univerſi recederent, nec præter duos ſervulos ad neceſſarii victus obſequium illi remanerent: qui tamen & ipſi omnia vaſa, in quibus Rex edebat, & bibebat, percepto cibo, abominabilia judicantes, pabula ignis exhibebant. His autem Rex coarctatus anguſtiis, ſuaſione, & increpatione Abbonis Floriacenſis Abbatis, magni nominis, ad ſanum conſilium rediens, divortium fecit, initque legale connubium, & peccatum grata Deo ſatisfactione diluit. *Leo Pp. in epſt. ad Henr. Roberti filium. Petr. Dam. Ep. ad Deſiderium Abb. Helgal. Floriac Monach. apud Baron. tom.*10. *ann.* H 998.1.2.3.

Suen Danorum Rex, cognomento Magnus, cùm pro libitu ſuo tria regna teneret, mox ſuccedentibus proſperis, oblitus eſt Regis cæleſtis, & conſanguineam à Suedia duxit uxorem. Quòd domino Archiepiſcopo Hamburgenſi Adalberto valdè diſplicuit, furentemque Regem, miſſis ad eum Legatis, de ſcelere terribiliter increpavit. Poſtremò, niſi reliquerit, excom̃unicationis gladio feriendum eſſe. Tunc ille converſus in furorem minabatur omnem parochiam Hamburgenſem vaſtare, & exſcindere. Ad quas minas imperterritus noſter Archiepiſcopus arguens, & obſecrans, perſtitit immobilis, donec tandem flexus tyrannus Danorum per literas Papæ libellum repudii dedit conſobrinæ. Nec tamen Rex Sacerdotum admonitionibus aurem præbuit, ſed mox, ut conſobrinam à ſe dimiſit, alias itemque uxores, & conſobrinas aſſumpſit: & ſuſcitavit ei Dominus inimicos in circuitu multos,

ſicut

ſicut Salomoni fecit propriòs ſervos. *Baron. Tom.* 11. *Annal.* A *an.* 1050. 12. *ex hiſt. Adam l.*3. *c.*10.

Otho Rex Teutonicorum, qui poſtmodum Imperator creatus eſt Romanorum, Adalahidem Italię reginam, quæ ſibi commater extiterat, ſuſcepit in conjugem. Quem filius ejus Almificus, qui Moguntinæ præſidebat paſtor Eccleſiæ, cœpit conſtanter arguere, & ſceleſtum, luridumque conjugium publicè condemnare. Pater autem vehementer iratus eum comprehendi præcepit, & carcerali mox cuſtodiæ mancipavit, quem per annale circiter ſpatium carcer incluſit, ſed à correctione linguam terroris vinculum non ligavit. Cùm verò pater eum, quadregeſimali decurrente jejunio, de cuſtodia decreviſſet educere, antequam pſalterium expleret, quod aureis exarabat apicibus, recuſavit exire. Verumtamen cùm exivit, zelo ſacerdotalis accenſus auctoritatis, non quievit, ſed mox in patrem jaculum publicæ excommunicationis intorſit. O verè dignum regio genere ſacerdotem, qui in cauſa Dei non imperiale faſtigium, non paternum recognovit affectum: ſed dum paternam, ac regiam auctoritatem in ſolo Deo conſtituit, hunc hominem ejus legibus reſiſtentem à ſe prorſus extraneum deputavit. Dixit autem patri: Tu arbitraris me adversùm te inſolenter agere, te verò præjudicium ſuſtinere: B ſcito prænoſcens, quia die ſancto Pentecoſtes uterque ſimul adſtabimus ante Deum, ibique ventilabitur inter nos librata juſtitiæ lance judicium. Ibi luce clariùs apparebit, quis noſtrum æquitatis lineam teneat, qui Dei legibus contradicat. Factumque eſt, ipſo, qui dictus eſt, ſacroſanctæ ſolemnitatis die, ut dum præfatus Auguſtus imperialibus infulis redimitus, multorumque Pontificum choris, ſive procerum vallatus agminibus Miſſarum ſolemniis intereſſet, repentino ſuper eum veniente judicio, repertus ſit mortuus. Epiſcopus autem in Domino jam quieverat. Sic, qui de inceſto conjugio contempſit inter homines judicari, ad tribunal æterni judicis coactus eſt pertrahi: & qui ſubjectum ſibi dedignatus eſt audire Pontificem, terribilem ſuper ſe non potuit evadere Majeſtatem. *Pet. Damian. act. de mirac. apud Sur. tom.* 7.

S. Dympna Regis Gentilis Hiberniæ filia, tranſactis in domo paterna pueritiæ annis cœleſti lumine illuſtrata, regales luxus, & voluptates omnes aſpernari cœpit: ac tandem occultè ſacris aquis expiata, Chriſto nomen dedit, & caſtitatis voto ſeſe ei perpetuò devinxit. Interim matre defuncta, cùm Rex eo nomine ſupervacaneis doloribus laboraret, tandem, habito C cum proceribus conſilio, ſtatuit Virginem adoleſcentulam, genere, & forma ſpectabilem regi alicui ſtabili matrimonio conjungere. Cùmque eam in rem, milites, moribus, & eloquentia præſtantiſſimi, per varias regiones, & urbes miſſi fuiſſent, ut aliquem regio ſtemmate prognatum inquirerent, tandem re infecta redierunt, regiamque ingreſſi, ac Rege ſalutato, ſic alloqui cœperunt: Nos quidem, ò Rex excellentiſſime, majeſtatis tuæ juſſis obtemperantes, nullo modo regium adoleſcentem tua filia dignum reperire potuimus, ſed ſi placet, jube illam tibi potiùs felici connubio jungi. Vix hæc eſſati erant, cùm mox diabolus, qui Virginem ſacram ad infandam ſuperſtitionem reducere volebat, Regem amore inceſto, & impudicitiæ facibus inflammavit. Itaque Rex cœpit animum puellæ blanditiis pertentare, & opes, mundique gloriam promittere, ſi eas nuptias pari amore, ac voluntate amplecti vellet. Ac Dympna Chriſti Virgo, præcisè, conſtanterque ſe tantum nefas nunquam admiſſuram reſpondit: neque enim juſtitiæ, vel legibus conſentaneum eſſe; ut fil a patris thorum commaculet; atque eo ſcelere, omni poſteritati perpetuam ignominiæ notam inurat. Cùmque ille vehemen- D tiùs inſtaret precibus, & illa fortiùs negaret, tandem Rex iratus dixit, eam vel in gratiis acquieſcere oporteret. Tunc illa quaſi obtemperatura, quadraginta dierum ad cautelam petivit inducias. Interim ornamenta, gemmas & veſtium ſplendorem, cultùmque puellarem ſibi dari depoſcit, ut elegantiùs ornata gratior patri appareret. Rex ea re mirificè lætatus omni ambitione, puellæ poſtulatis ſatisfieri curavit. Tunc illa, ut patris libidinem effugeret, aſſiduis precibus Chriſti opem implorabat: cogitabat enim ad ignoras terras confugere. Capto itaque tempore fugæ oportuno ad Belgas ſe contulit. Sed pater eam ſollicitè inquirit, inventam nimio furore incenſus capitis ſupplicio affici in promptu jubet. At cùm nemo tam crudele præceptum exequi vellet, ipſemet crudelis, regalis clementiæ immemor, gladio, quo erat accinctus, preclaræ Virgini caput amputavit. *Petrus Cameracenſis in vita ejus apud Surium*, 15. *Maii*.

CULTUS DISPARITAS. E

Nolebat Abraham, ut famulus ejus acciperet filio ſuo Iſaac uxorem de filiabus Chananæorum, quia illi erant Idololatræ: ſed juſſit eum proficiſci in Meſopomamiam, ad modum Nachar fratris ſui. Ubi quamvis colerent idola, tamen ſimul cum iis colebant Deum cœli, eratque familia benè morata *Geneſ. cap.*24. *verſ.*10.30.31.

In prima hominum per profuſas libidines corruptione, aſſignat cauſam Scriptura, quòd filii Dei, quos ob ſanctitatem, & juſtitiam ita vocat, erantque poſteri Seth, acceperint ſibi uxores ex filiabus hominum, nempè poſteris Cain, qui perverſi erant, & terrenis dediti, ac in libidines proni. *Geneſ. cap.*6.

☞ *Petantur quædam ex Loco de Hereticis. Item infra de Matrimonio Infidelium.*

☞ *De Ordine, & Voto, vide Loca eorumdem propria.*

IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA.

Impedimenta non dirimentia, ſed impedientia tantùm, duo numerantur communiter, & hoc verſu comprehenduntur.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriarum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Per Eccleſiæ vetitum intelligunt prohibitionem, ne matrimonium clam fiat. Vult enim Concil. Trident. ut matrimonium celebretur in facie Eccleſiæ, hoc eſt coram Parocho, F aut altero, qui ejus locum cum auctoritate ſuppleat, & duobus teſtibus. Itaque hoc impedimentum non ampliùs impediens tantùm, ſed dirimens evaſit, unde factum, ut vel ad crimen ſit reducendum: vel annumerandum XII. prioribus impedimentis dirimientibus tamquam decimum tertium.

Per tempus feriarum intellige prohiberi ſolemnitatem nuptiarum quoad convivium, ſolemnem ſponſæ introductionem, & quæ pleriſque locis obtinet ornatum frondium, & foliorum ante ædes ſponſorum: idque ab Adventu Domini uſque ad diem Epiphaniæ incluſ. & à feria 4. Cinerum uſque ad octavam Paſchatis incluſivè. Sub illa etiam ſolemnitate intelligitur benedictio nuptiarum in Miſſa. Itaque abſque ſolemnitate matrimonium tunc etiam celebrari poterit, tamen ſervanda eſt loci conſuetudo.

Sunt præterea impedimenta non dirimentia, ſponſalia, cùm alia perſona inita, nec ritè dirempta.

Votum ſimplex Caſtitatis, & Religionis, in quibus ſolus Pontifex diſpenſat. Votum ſuſcipiendi ſacros ordines. Item non nubendi. G

Affinitas contracta per Catechiſmum qui baptiſmum præcedit, quæ tamen non eſt ampliùs in uſu.

Diverſa inſuper Crimina matrimonium impediunt. Id eſt, inceſtus, cum conſanguineis uxoris viventis intra ſecundùm gradum; ea enim mortua arcetur à matrimonio.

Uxoricidium, nempe ſi quis occidit uxorem ſuam, ut poſſit habere aliam.

De Matricidio idem *Navarrus* ſentit.

Presbytericidium, dummodo in judicio de eo ſit convictus, inquit, *Panormit. ad Cap. qui presbyterum, de Pœnit. & remiſſ.*

Raptus ſponſæ alterius, *cap. ſtatutum cauſ.*27. *q.*2.

Proprii filii de fonte ſuſceptio, vel baptizatio.

Matrimonium ſcienter cum Moniali initum.

Denique ſolemnis pœnitentia actu præſtira. Videatur *Sanchez de Matrimonio*.

IMPEDIMENTORUM INSTITUTIO A Quo Facta. H

Impedimenta, de quibus ſupra locuti fuimus, partim à Deo, partim ab Eccleſia fuerunt inſtituta, & decorata. Dei autem ut eſt auctor naturæ, prohibitionem habemus circa cultus diſparitatem, & gradus conſanguinitatis, & affinitatis, ut conſtat ſuprà *Sub Tit. de Dirimentibus*, ſub finem.

Circa reliqua habemus Eccleſiæ Iuriſdictionem, & decretũ, potuitque ea hæc impedimenta ſtatuere, ex vi poteſtatis, quam in ovile Chriſti accepit. Cùm enim matrimonium, non tantum ſit ſacramentum, ſed etiam contractus civilis inter perſonas legitimas, ut ſic, humanis legibus ad inſtar aliorum contractuum ſubjectus eſt, quamvis reſcindi non poſſit, ubi ſemel legitimè fuerit initus. Igitur Eccleſia hic circa eſſentialia ſacramenti, putà materiam, formam, & miniſtrum, nihil immutavit, cùm illa perficiantur per mutuum conſenſum certarum perſonarum: ſed quia hoc ſacramentum ſupponit contractum, in quo

fundatur,